

Italiae viscera se quoquo modo insinuaret, cui tam propinquus jam esset, ut ex eo littore quod novissime occupasset, eam pene intueretur. Ac ita sane non multo post evenit. Sed de Hidruntina oppressione postea dicetur. Interim vero res in novae discordiae discrimen fere adducta est. Æstate siquidem illa, quæ proxime pacem secuta est, valida Turcorum classis ad Cephalleniae Regulos (quos *Divæ Mauræ* vocant) opprimendos in Ionium venit: jacet ipsa insula ante Ætoliæ; unde Principibus ejectis, cessit Cephallenia Othomani armis. In Zacyntho erat Petrus Bualius cum quingentis expeditis equitibus Peloponnesiacis: ademerat is eam insulam aliquanto antea Cephallenis Regulis, eamque semel occupatam ad id tempus tenuerat. Ubi igitur Othomanica classis eo quoque appulsa est, tanquam ad insulam, quæ Cephallenorum Principum fuisset, confestim Lauretanus, qui classi adhuc præerat, barbaras naves secutus est, affirmans haud quidem se passurum insulam oppugnatum iri, nisi prius equitatus inde Peloponnesiacus abductus esset. Hortari ad id Othomanicæ classis præfectus, ne contra novæ pacis fœdera pergeret Venetum equitatum oppugnare. Uterque Constantinopolim scripsit: ad Othomanum barbarus, Lauretanus ad Benedictum Trivisanum, qui tunc legati munere apud illum fungebatur. Is, re ad Regem ipsum delata, benigne impetravit, ut non solum equitatum inde Veneto educere liceret, sed omnes etiam qui ultro insula abire vellent. Ea opportunitate Venetus usus, multa insulanorum milia, quæ alioquin in servitutem inciderant, cum suo equitate inde abduxit: quibus in Peloponnesum traductis, permissum libere est, ut quibus vellent locis, habitarent. Barbarus, Zacyntho recepta, jam obita provincia, domum abiit. Hæc hætenus in mari.

In Italia jam antea, ac priusquam Othomanico bello defuncti essent Veneti, pro Florentinorum libertate, ut sæpe alias, arma induerant. Acciderat superiore anno, ut Julianus Medices sacrorum hora ad Liberatæ fanum nova conjuratione oppressus esset; ac parum abfuit, quin

& Lau-

*In Insulis
ob Zacynthi
presidium
bellum pe-
ne renova-
tur.*

*Novum in
Etruria
pro Floren-
tinis bel-
lum.*